



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Observationes in publica Judicia, de quibus Cap. X. disseritur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Jura Temporalia, quibus privant REGULÆ XIX. & XX. solâ Potestate Ecclesiasticâ auferri nequeunt; Principis autoritas ad id requiritur. Insinuatur REG. XXII. unicum esse casum, quo Excommunicatio effectu careat, eum scilicet quo, pendente Appellatione, lata est; tot sunt autem, quot sunt casus nullitatis manifeste provenientis ex defectu delicti aut potestatis in Judge, aut ex eo quod errorem intolerabilem contineat.

Inter Exceptiones Generales REGULARUM XXVI. *Questionis X.* de quâ agitur, quædam reperiuntur vitiosæ; talis est *Secunda*, quæ insinuat, Excommunicationem carere effectu, cum illicita est; non addito, & *invalida*.

Idem est de Replicatione ad *Exceptionem IV.* ubi dicitur, eum, qui communicat cum Excommunicato ob crimen atrox, eandem Excommunicationem incurere. Textus autem 55. de *Sent. Excomm.* ad hoc probandum laudatus, agit de casu, quo cum Excommunicato communicatur in crimine, propter quod excommunicatus fuit. *Cap. 17. de restitut. perperam* laudatur REG. XXVIII. ad ostendendum, Jurisdictionem in quasdam personas probari non posse per Excommunicationem, cui obtemperaverint; loquitur enim de obedienciâ scrupulosâ, quæ dies aliquot tantum duravit; talis autem submissio timidam potius aut religiosam conscientiam ejus, qui paret, arguit, quam jus imperantis.

Excommunicatio potest esse usurpatio Jurisdictionis; itaque, ad decernendum de jure eam ferendi, antea probandum est, ferentem fuisse in quasi-possessione Jurisdictionis. REGULA XX. dicens, multam esse remedium subsidiarium Excommunicationis, malè concipitur: dicendum erat, eam vice Excommunicationis decerni posse; & hic sensus est *C. 7. de Sent. Excomm. in 6. §. 4.* laudati ab Autore. Observare autem debuisset, eam, cum Excommunicationis locum tenet, in Excommunicatoris commodum converti non debere.

#### OBSERVATIONES in CAP. IX. circa INTERDICTUM.

Autor ad Caput præcedens remittit, quoad causas INTERDICTI, & jus illud ferendi, sicque confirmat id, quod jam observavimus, debuisse illum de Censuris gegeratim loqui, & annotare id, quod ipsis commune est, scilicet, eas justam causam requirere, nempe peccatum mortale, & justam potestatem, quæ est Jurisdictio in foro exteriori.

Cum Excommunicatio omnium Censurarum gravissima sit, monere debuisset, causas ad Excommunicationem necessarias non requiri ad Interdictum; sed minora peccata ad hoc sufficere, & sic, applicando ad Interdictum, quod speciatim de causis Excommunicationis dixit, servandam esse proportionem, quam utriusque Censuræ inæqualitas exigit, quod difficilè fieri potest; nam Censuræ non habent locum nisi in casibus expressis, & proinde consecutio ab unâ ad aliam non valet, præsertim à majori ad minorem, qualis est Excommunicatio Major respectu Interdicti, & speciatim dum agitur de causa ubi, sicut id, quod sufficit ad Interdictum, non sufficit ad Excommunicationem, id quod ad Excommunicationem necessarium est, non exigitur ad Interdictum. Undè fit, ut remissio hæc facta ab Autore, inepta sit; ideoque rectius egisset, colligendo quosdam casus à Jure Interdicto punitos, sicut plures ex iis retulerat, qui Excommunicatione plectuntur. Plerique utriusque generis referentur in Tractatu de Censuris.

#### OBSERVATIONES in PUBLICA JUDICIA, de quibus CAP. X. differitur.

Videtur, Autorem continuò de *Pœnis Ecclesiasticis* loqui debuisse, quippè haud minor ratio postulabat, eas exponi, quam discuti Censuras. Saltem observandum

erat, alias esse Pœnas, quibus Ecclesia Sontes coercet in Judiciis Criminalibus, & indicanda loca, in quibus de iis loqui statuerat. Depositio ab Ordine, Privatio Beneficiorum, Pœnitentia publica multorum annorum, laboriosis atque abjectis Exercitationibus referta, Carcer perpetuus, aut diuturnus, sunt pœnæ haud exiguæ. Eximius est ordo hujus Capitis necnon ejus divisio, eadem est excellentia CAP. XI. XII. XIII. XIV. quæ loquuntur de Judiciis Publicorum Appendicibus, scilicet de Pœnis culparum in illorum Judiciis prosecutione accidentium, de Absolutione, Condemnatione, de Restitutione Rei, Informatione, Denuntiatione, Purgatione. Fusiùs tractatur Absolutio, respectu reliquarum rerum. Quædam sunt vitia in *Regulis* & in *Exceptionibus*, quæ breviter notabuntur juxta *Capitis* ordinem.

Cum dixisset actus aut Accusatorem, aut Reum, aut Judicem spectare: ab Accusatore exorditur, circa quem observat, eum inscribere nomen debere, & sic ad pœnam Talionis se astringere, à quâ plures casus excipiuntur. Duo posteriores ad Denuntiatorem, & Opponentem pertinent, qui non sunt Accusatores: ideoque non continentur sub *Regulâ* ad Accusatorem restrictâ: itaque, si à Denuntiatore & ab Opponente inscriptio non exigitur, id non fit per *Exceptionem à Regulâ*, sed quia non sunt Accusatores: obligatio autem ad inscriptionem peculiaris est Accusatoribus, *Cap. 10. REG. I. Except. 4. & 5.* REGULA hæc & *Quinque subsequentes* ad unam contrahi potuissent, sub quâ omnia Accusatoris officia relata fuissent & sigillatim enucleata. Officia hæc, præter inscriptionem, sunt, accusare in scriptis, probare crimen objectum, & non prævaricari, neque tergiversari in probatione, aut persecutione.

Divisio Autoris exigebat, ut de Officiis Accusati, seu Rei ageret: scilicet, obligatione vitandi in defensione suâ fraudem, mendacium & perjurium, & parendi Judici. De Judiciis autem Muneribus & Officiis aliorum ejus respectu, loquitur; de Munere Judicis, qui contumacem punire debet, eum capiendum & custodiendum curare, eumque ab Officio suspendere; de Officio aliorum, qui Reum nec receptare, nec occultare debent.

Hæc Judicis Officia, cum cæteris, quæ deinceps attingit, sub unâ *Regulâ* collocandâ erant, atque enumerandâ: *Novem* autem *Regulas* condidit. Quod dicit in *Secunda*, Episcopum condemnari non debere, absque Pontificis participatione, è spuris Decretalibus desumptum est. Quod dicit in *Sexta*, Rei depositionem adversus confisos sceleris non audiri extrâ casus læsæ Magestatis, Hæreseos, aut Simoniacæ, non observatur hodiè, & jure meritò; Salutis enim Publicæ, interest, cognosci & puniri confisos, quod fieri nequit, nisi Rei crimen confessi depositio audiatur.

#### OBSERVATIONES in CAP. XI. & XII. quorum illud de PœNIS DELICTORUM in ACCUSATIONE ADMISSORUM, hoc de SENTENTIÆ EXECUTIONE agit.

Delicta hæc sunt, *Calumnia*, quæ justè præsumitur, ubi crimen non fuit probatum, *Prævaricatio*, quæ est occultatio probationum sceleris, ex clandestina conspiratione cum Accusato proveniens; & *Tergiversatio*, quæ est accusationis desertio sine causâ legitima. Sic Autor *Capitis* Argumentum proponere, atque exponere debuisset.

Agendo de Pœnis Calumniatorum, eas sub unâ *Regulâ* enumerare debuisset. Sex autem Pœnas in *Regulas VI.* distribuit; scilicet 1. Eam, quam Accusatus luisse, si fuisset convictus; 2. Depositionem; 3. Infamiam; 4. Excommunicationem Majorem; 5. Pœnitentiam; 6. Linguae amputationem. Porro, has sub unâ *Regulâ* facile complexus fuisset, dicen-